



Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Non admissis quoque rescriptis illis, Galli jura sua tuebantur. Olim Clerici à Pontificibus commendati. Deinde adjunctæ sunt minæ excommunicationum. Initium hujus coactionis circa tempus Lucij ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

& Imperij Lib. IV. Cap. IX. 227

cavendam esse generalem secessionem, si universa Ecclesia premeretur, subjunxit Legatus, *super hac, quidquid precepit, tali conditione licet tacita intellexisse, si Imperium & alia regna consentirent. Adjunxit se nihil amplius super hac assentaturum, donec per regna alia Prælati consenserint, quod credidit provenire non posse.* Unde patet in re nova constituenda per Gallias, consensum Regis, Episcoporum, & procerum exquisitum fuisse à Legato, eumque à rescripto exequendo abstinuisse, ob Clericorum totiusque regni dissentium, & ob scandali imminenti & secessionis periculum.

II. Eodem animo tuendæ libertatis canonice ferebatur Robertus Lincolnienfis Episcopus in Anglia, vir singulari pietate conspicuus: qui non expectato synodali decreto, sibi liberum putavit præcepto cuidam Innocentij IV. de conferenda Præbenda in sua Ecclesia reniti; quia juri recepto contrarium erat. *Noverit, inquit, discretio vestra quod mandatis apostolicis affectione filiali devotè & reverenter obedio; iis quoque que mandatis apostolicis adversantur, paternum zelans honorem, adversor & obsto. Ad utrumque enim teneor ex divino mandato. Infrà: Propter hoc, his que in prædicta litera continentur, unicè, filialiter, & obedienter non obedio, contradico, rebello. Mox: Breviter autem recolligens dico, apostolice sedis sanctitas non potest nisi qua in edificationem sunt, & non in destructionem. Hæ autem quas vocant provisiones, non sunt in edificationem, sed in manifestissimam destructionem. Non igitur eas potest beata sedes apostolica acceptare; quia caro & sanguis, que regnum Dei non possidebunt, eas revelavit, & non Pater Domini nostri Jesu Christi qui est in cælis. Nec omittendum est, clausulam illam solennem, quæ in omnibus rescriptis hodie inseritur, non obstante constitutione hac vel illa, jam tum usurpari cœpisse, quod ægrè ferebat Robertus Lincolnienfis, eò quòd in statuentibus inconstantiam designaret, cum tamen leges constantia quadam & perpetuitate vigere debeant, nisi necessitate cogente aliquando remittendæ sint. De illius litera, inquit, & ei consilium longè latèque dispersarum superaccumulato non obstante, nec ex legis naturalis observandæ necessitate indulto, scætet cataclysmus inconstantia. Si quis immodestæ cuidam petulantia verba Roberti adscribenda putet, is ante omnia Theodorici Regis Italiae sententiam perpendat apud Caffiodorum: *Pro æquitate servanda, & nobis patitur contradici: Et eodem sensu Regis Arthalarici: Rarum confidentia genus est, interdum resistere contra vota Principis.**

III. Gallis etiam nostris ea mens erat, ut

non admissis Romana curiæ rescriptis, quæ Collatoribus jura per canones quæsitæ auferrebant, se ab iis novitatibus expedirent. Sed tandem Romanis Pontificibus æquum visum est ut suæ commendationis ratio haberetur. Commendationem vocavi, quia olim Episcopis Clericos aliquando sedes apostolica commendabat tantum, ut concessio Diaconi & Presbyteri gradu, eorum inopiam sublevarent; exemplo Gregorij Magni, qui Syracusano & Fanensi Episcopis duos Clericos commendavit. Sed posteri commendationes & preces in præcepta verterunt; & præceptis, quæ, ut vidimus, à Collatoribus repudiabantur, Executores adjunxerunt, qui Episcopos ad Collationem cogere, ut rectè explicuit Duarenus, Coactionis illius initia referri possunt ad tempora Lucij III. ad quam invitatus fuit à Stephano Tornacensi, cujus hæc sunt verba de Herveo Clerico commendato Canonici S. Aniani Aurelianensis: *Scriptis pro eo felicis recordationis pater Alexander (III.) Decano & Canonicis sancti Aniani Aurelianensis. Scripsistis & vos primò & secundo. Sed neque preces neque præceptum vestrum, quamvis tres præbende vacarent, voluerunt audire. Absit, Pater, ut inanes sint preces vestra, contemptibilis auctoritas, clausuram præceptum; & nunc demum tanta, si placet, virtute intonet super eos majestas vestra, ut qui blanditiis juvari non poterunt, imperio discant vinci.*

IV. Cum ergo Collationes beneficio rum, imò & episcopatum, & monasteriorum, ad se traherent Romani Pontifices, rescindentes si quid contra eorum rescripta ageretur, additis excommunicationibus in contumaces, nihil reliqui erat penes Episcopos Gallicanos quin adeo severis præceptis parerent & Collationum jure caderent. Quare ad remedium extraordinarium confugerunt, scilicet ad tuitionis regiæ præsidium, pietate Regis Ludovici IX. interpellata, qui his morbis edicto suo consuluit. Nondum enim oblitterata erat in Gallia, pro custodia canonum, Regum nostrorum auctoritas: quam ab Ivone commendatam sciebant anno MXXVI. Consultus enim à Philippo Rege quid agendum esset, si posthabita eo anno duo Concilia ab Urbano II. Nemausi & apud Clarummontem, Hugo Legatus apostolicæ sedis ad tertium Episcopos invitaret, (quod alienum erat à canonicis, qui duas synodos tantum celebrandas præscribunt) respondet Ivo se nihil rescivisse de consilio Legati. *Quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio, vel ecclesiastica consuetudo. Quod si quis eos (id est, Episcopos) ultra terminos à patribus constitutos anga-*

Ff ij

Gregor. I. 3. ep. 147
l. 1. ep. 47.

Franc. Duarenus
lib. 1. de sac. Ec
cles. ministr. cap. 8.

Stephanus Torpæ
ep. 109.

Pide lib. 6. cap.
31. §. 7.

Ivo ep. 16.

Marthani Piti in
Henrico III. ad
an. 1135.

Marthani Piti
Henrico III.
an. 1171. 114.

Cassiodorus l. 1.
Varior. 1. 1. 3.
Var. 9.